



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio VI. Prima ratio conciliandæ libertatis in Christo cum neccessitate ad
perfectiora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thoir.
q. 15. a. 1.

dem difficultas, nisi dicas potuisse Christum esse imperfectum, quod ibidem impugno.

§. 113. Ad argumentum ex §. 111. res est explicata facillima: potuit enim Christus mori, & non mori: quia ita præceptum accepit, ut illud potuerit reculare: quo labefactantur omnes technæ. In sententia autem P. Vasquez, ut frequenter circumferatur, miror à Lorca negari non adscribi redemptionem circumstantijs, attestante Paulo Christum exauditum pro sua reuerentia; quia Patrem rogauit cum lacrymis, & clamore valido, iam actus in crucem: at illa circumstantia fuisse: potuit enim mori obiri sine lacrymis, & clamore. Ad Maiorem, respondeo redemptionem non adscribi morti secundum se, sed ut liberè fuit obita: actiones enim externæ non sunt meritoria secundum se, sed ut exercentur liberè & honestè. Vnde distinguo Minorem: in hac sententia negatur redemptio morti secundum se, concedo Minorem; ut liberè obita, nego Minorem. Idem dixerim de circumstantijs extrinsecis de lacrymis, & clamore valido. Ad probationem, distinguo antecedens: non potuit non mori absolutè omittendo omnes actus moriendi, concedo antecedens; non potuit non mori per hos actus, nego antecedens. Vnde nego Christum non fuisse meritum per mortem: quia voluntas illa moriendi ita fuit in Christo, ut potuerit non esse, quia amata fuit circumstantia mortis, & potuit non amari: mors autem nullam habet honestatem, nec meritum. Vnde item deduces, meritum mortis quoad substantiam non posse separari à merito mortis hic & nunc: quia ut mors sit meritoria, est patiendi hic & nunc aliquo actu libero in singulari, cum omnibus circumstantijs honestis: qui actus cum libertate sufficienter extensa dat meritum morti, quin sit necesse posse illam omnino omitti: satis enim est libertas ad alios actus secundum se minus bonos. Propositio autem causalis per se primò cadit in actus internos, qui in substantia fuerunt liberi circa substantiam mortis ratione circumstantiarum.

§. 114. Pone igitur à Christo mortem obiri actu obedientia stricta: quem ipse potuit omittere, & exercere alium ex se minus bonum: Christus meretur per substantiam mortis: quia ut est ea substantia libera & meritoria, potuit omitti; quia est libera non secundum se, sed ut obita voluntate libera: at hæc voluntas libera potuit non esse: ergo substantia mortis est libera ab ea voluntate. non quidem libertate potente mortem omittere, ita ut omitterentur simul omnes actus moriendi (hoc enim esse non potuit) sed quia potuit omitti actus, quo est obita, & denominatur liberè volita. Hoc autem satis est ad denominandum extrinsecè liberas actiones externas, ut dicam latius à §. 118.

§. 115. Tertio mouetur: quia etiam præceptum fuit de motiuo mortis, ut eam pro nobis offerret. Respondeo potuisse etiam reculari præceptum illud, & difficultatem esse communem in voluntatis insinuatione. Item oblatio mortis potuit esse pro nouis actibus plurimum virtutum, qui non fuerunt præcepti, nec consulti.

§. 116. Quarto: ratio libertatis est essentialis ad meritum: ergo qua ratione actus est liber, est meritorius: sed per te mors non est libera secundum se, sed ratione circumstantiarum: ergo nec meritoria. Respondeo, mortem etiam esse liberam secun-

dum se: quia potuit reculari præceptum. Deinde mors in se non est libera: est autem libera ab actu interno: quia eadem ratione est meritoria, qua liber: est verò liber in tota substantia circa circumstantias, & circa mortem: quia illa omnia liberè amauit: causa autem libertatis huius est negatio præcepti circumstantiarum.

SECTIO VI.

Prima ratio conciliande libertatis in Christo cum necessitate ad perfectiora.

§. 117. **N**on solum gradiemur vna via satis regia, sed duabus: est enim hoc mysterium apprimè necessarium ad cognoscendam vim meritorum Christi, & magnitudinem in nos amoris, qui sponte cucurrit ad obeundam acerbissimam necem, nullo cogente; ut nos eriperet ab illa, qua in æternum non perituri, periremus.

SVBSECTIO I.

Libertas immediata & mediata actionum humanitatis Christi.

§. 118. **P**ramitto, actiones Christi Domini ut hominis esse tum voluntatis humanæ, tum externas, id est, à voluntarijs distinctas. In voluntarijs possumus disquirere immediatam libertatem, quæ illis solis inest: in externis autem non possumus inuenire immediatam libertatem, sed mediatam: quæ libertas immediatè est actui imperanti actionem externam, aut alicui volitioni priori, aut non impediendi imperium internum: ab actu autem imperante actio imperata est libera. Verbi gr. ego moueo manum: voluntas eam mouendi est mihi immediatè libera, quia oritur immediatè à voluntate ut libera; motus manus est mihi liber absolutè: quia absolutè est in mea potestate, non tamen immediatè liber: quia non oritur immediatè à voluntate, sed ab alia potentia carente libertate.

§. 119. Actus voluntatis Christi, imperans actiones externas, aut amans rem præceptam, non potest esse liber immediatè, & in se, si omnia Deus præscribat præcepto aut consilio; sed opus est ut relinquatur Christo aliqua capita neque præcepta, neque cõsulta, à quibus actus libertatem aucupetur. Exempli gr. si Deus præscribat Christo mortem obeundam Hierosolymis eodem in loco, patibulo, hora, motiuis, intentione, & alijs adiunctis; ille actus non potuit esse liber immediatè, & in se, quæ apertè constant ex tota disp. quia nec exemplo determinationis, nec præfinitionis posse componi, ostendi sect. 1. & 2. nec puram omissionè frequenter admitti, probavi sect. 3. Quæ si admittatur, est culter ad præcidenda omnia hæc fila. si verò Christo præcipiatur nex offerenda pro hominibus, nex & oblatio sunt Christo fatales perseverante præcepto aut consilio: implicat enim Christum, id considerantem, non obire necem, & offerre Deo pro nostra salute. itaque Christus non potest tunc committere omnes actus voluntatis; quibus id præceptum

ceptum possit executioni mandari: aliquis enim est necessariò exercendus: ob id dico esse fatalia, quæ Christo præcipiuntur. si verò cum eo præcepto, aut consilio de nece & oblatione non præscribantur tempus, locus, patibulum, intentio, & motiua, siue rationes formales, aliaque id genus; actus internus erit immediatè liber ea in parte, in qua non præscriptus. Verbi gr. circa motiua actus erit liber non solum quoad indiuiduū, sed & quoad speciem. Etenim poterit mors obiri actu obedientiæ, & poterit non obiri actu obedientiæ: quia obedientia stricta potuit esse, & non esse. Idem dixerim de exteris alijs, quibus substantia actus redditur libera, quia tota illa est, vt potuerit non esse.

§. 120. Actio externa moriendi, concionandi, inambulandi, &c. erit Christo libera, vt exercetur per illam voluntatem: quia sic potuit non exerceri. id quod est satis vt Christus per illam mereatur, ad quod satis est, vt, quando exercetur, exercatur liberè, vt dixi §. 113. & 114. quæ tamen libertas non plena & plana, sed tantum secundum quid, id est, vt hîc & nunc exercetur. Ratio à priori: quia licet potest omitti, hîc & nunc exercetur: at absolute non potest omitti: ergo absolute & plenè non est libera: qui enim potest hîc & nunc mori, & non mori; item non solum hîc & nunc, sed etiam semper, & in omni loco, potest mori, & non mori; magis liber est in moriendo, quam qui non potest omni loco & tempore fugere mortem; licet fugere eam possit hoc tempore & loco: licet ergo ea libertas satis sit ad merendum per mortem, vt dixi §. 113. & 114. tamen non est plena libertas ad non moriendum absolute.

§. 121. Possumus item considerare à Deo præscribi Christo mortem, hominum redemptionem, & prædicationem verbi Dei, alijs nec præceptis, nec consilijs. Christus intuens illam esse voluntatem Patris, noluit veluti rejicere, sed potius acceptare, & sese illi subijcere. De acceptatione autem Deus nihil præcepit, nec consuluit, sed eam permisit voluntati Christi, significans sibi æquè gratum futurum, si voluntatem Dei acceptet, aut respuat ex obiecto charitatis, aut alijs virtutis: acceptatio consilij aut præcepti Dei est in voluntate Christi, qui sine vlla imperfectione poterit petere à Deo dispensationem præcepti aut consilij, & poterit illud acceptare. Videns autem propensionem Dei ad mortem, statuit apud se: *Nolo mortem recusare, sed eam obire: quia ira Deo placet.* Hic actus relinquit liberam mortem, prædicationem, & alia externa libertate absoluta plena & plana; quia est in potestate Christi mori, & non mori: quia si ille non acceptat præceptum mortis, auferetur: acceptatio autem illi est libera vndique: ergo absolute est liber in moriendo, & non moriendo: sicut ego sum liber in mouendo manum, id quæ verum esset, quamuis actus immediatè imperans prædicationem externam esset omnino necessarius in se: ille enim non esset, si Christus non acceptasset præceptum. Satis ergo est absolute libertati actionis externæ esse in mea potestate illam habere, & non habere: quamuis causæ immediatæ sint determinatæ ad illam: quia illarum determinatio est in mea potestate.

Per. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

SUBSECTIO II.

S. Thom.
2. 1. 5. q. 2.

Compositio libertatis Christi cum perfectione.

§. 122. **Q**uo pacto facillimè componuntur præceptum, libertas, & æstimabilitas operationum Christi ad impetranda præmia? Præceptum quidem, quia statuitur à Deo, & perseverat, dum Christus illud non recusat: dum enim illud non recusat, Deus illud absolute statuit, habetque Christus materiam obedientiæ, & voluntatem Dei, quam sequitur, & cui obediatur, vt verè dici possit, *Factus est obediens vsque ad mortem.* Item est in potestate Christi non mori, quia potest mortem fugere recusando præceptum. Quòd si non recusat, non est, quia non potest, sed quia non vult, vt verè posset dicere Iſaias: *Oblatus est, quia ipse voluit,* non quia Deus eum coëgit: quia recusationem præcepti commisit eius arbitratui. Item Christus dixit, *Potestatem habeo ponendi animam.* Item potestatem habet petendi à Patre legiones, quibus eriperetur è manibus Iudæorum. Componuntur igitur hæc duo, nempe materia obedientiæ in oppetenda morte, & libertas ad eam oppetendam absolute, non solum in his circumstantijs aut illis, sed in substantia mortis, & carentia.

§. 123. Cùm igitur actiones externæ sint Christo tam liberæ, quam in nobis: quia voluntas non recusandi præceptum facit illas liberæ, dum liberè vult non auferre conditionem, ex qua necessariò sequuntur: ostendo etiam actus extrinsecos voluntatis exequentis præceptum illi esse liberæ omnino, non solum ratione circumstantiarum & accidentium, sed etiam ratione essentia, & obiecti formalis: quia in oppetenda morte nullus actus fuit Christo præceptus, sed omnes commissi eius arbitrio. Christo præcepit Deus amorem sui, & consuluit heroicam intensiorem: Christus autem amore infinite intenso amat Deum à primo instanti conceptionis, eum amorem nunquam intermissurus, non solum vt oritur à scientia beata, sed etiam alio specie distincto deriuato à scientia infusa. considera vtrum anima Christi sit perfecta in amando Deo?

§. 124. Circa mortem nullum ei actum præscripsit: Christus autem exercuit circa illam omnes actus omnium virtutum, quas humanitas potuit exercere simul; omnes illi actus fuere Christo liberi non solum diuisiue, sed etiam collectiue, vno excepto: cum enim non posset omittere omnes voluntates moriendi, non potuit non exercere vnā vāgè & indeterminatè, quo pacto omnes in singulari fuere liberæ; quia ad nullam in particulari erat determinatus Christus: vnā autem exceptā, tota collectio erat libera. Obtulit igitur Christus Deo plurimos actus superabundanter. Vnde etiam constat quàm plura egerit Christus in obsequium Dei, quàm quæ digna æstimatu. Hæc quidem sententia eo mihi maximè placet, quòd sine vi & terere periodo de Deo sentit dignè Deo, & de libertate Christi, qua voluntate determinata ad perfectionem, non potuit maior excogitari.

§. 125. Premit nonnullos argumenti forma, quos oportet laxare. formatur igitur argumentum: Christus liberè moritur: ergo potest non mori.

R 13 Hec

S. Thom.
2. 15. a. 1.

Hæc consequentia liquet: quia libertas ad moriendum est potestas ad vtrumque extremum mortis, & non mortis: ergo Christus potest peccare. Probo consequentiam: quia Christum posse non mori, posito præcepto Dei, est posse peccare: quia est posse componere non mortem cum præcepto moriendi. Confirmatur. Christus liberè obedit præcepto Dei: ergo potuit non obedire: ergo potest componere inobedientiam cum præcepto. Probo consequentiam: quia libertas in obediendo supponit præceptum de morte: obedientia enim petit præceptum, aut consilium cognitum: quia obedientia habet pro obiecto formali honestatem exequendi aliquid, quia præceptum, aut consilium.

§. 126. Huic argumento respondere possumus in sententia constituente præceptum mortis, & negante facultatem petendi dispensationem: item non præscribente circumstantias aut motiua in obedienda morte. In qua sententia, distingo antecedens: Christus liberè moritur hæc & nunc libertate veniente ex aliqua circumstantia, aut motiuo, concedo antecedens; libertate veniente ex substantia mortis, nego antecedens. Distinguo etiam consequens: potest non mori hæc & nunc ratione circumstantia, aut motiui, concedo consequentiam; potest non mori absolute, nego consequentiam. Præterest ratio: quia ea, quæ Christus exercuit hæc & nunc, potuit Christus omittere hæc & nunc: ob quod hæc & nunc liberè moritur. at non potuit omittere omnes voluntates moriendi, ac propterea nec potuit non mori. Ad probationem consequentia, respondeo libertatem esse potentiam ad vtrumque extremum, ad quod est libertas: cum igitur Christus fuerit liber ad ea, quæ exercuit hæc & nunc, potuit ea non exercere: cum autem non fuerit liber ad carentiam mortis absolute, non potuit non mori. Hinc nego secundam consequentiam: quia Christus non potuit componere non mortem absolute, sed tantum secundum quid ut hæc & nunc: potuit autem absque peccato componere cum præcepto non mortem hæc & nunc, non tamen non mortem absolute.

§. 127. Ad confirmationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem, respondeo non obedientiam, siue inobedientiam, dicere negationem omnium voluntatum obediendi: obedientia autem libera dicit aliquam voluntatem determinatam, cuius carentia componi potuit hæc & nunc cum præcepto absque peccato; quia præceptum non erat de illa determinate, sed vagè: hæc autem voluntas particularis iam supponit præceptum, cum quo componi potest absque peccato huius voluntatis carentia; non verò carentia omnium: cum autem quacumque voluntate in particulari exequamur præcepta, qua cum obediimus; inobedire autem est omnes ommittere: hoc autem satis esse ad meritum ostendi §. 113. & 114. quia multa offeruntur Deo æstimatu digna, nempe perfectissimæ species actuum, & plures, ad quas nullo præcepto, nec consilio Christus erat adstrictus: non tamen est absolute libertas in non moriendo: nec Christus oblatas, quia voluit, sed præcepto coactus.

§. 128. Respondeo in mea sententia admittente in Christo facultatem petendi dispensationem, ad argumentum ex §. 125. concedo antecedens, & primam consequentiam: potuit enim Christus ab-

solute non mori, & componere non mortem cum vnione hypostatica etiam post præceptum: quia potuit illud abolere per non acceptationem. Nego autem secundam consequentiam: non enim componi potuit non mors cum præcepto, quod erat necessarium ad potentiam peccandi. Ad probationem, distingo antecedens: posse Christum non mori posito præcepto, & accepto, est posse peccare, concedo antecedens: quia in hoc sensu est posse componi non mortem cum præcepto de illa: posse Christum non mori ex suppositione præcepti non accepti, est posse peccare, nego consequentiam: id enim non est posse componi non mortem cum præcepto, sed potius cum carentia præcepti, quod abrogaretur non acceptatione.

§. 129. Ad confirmationem ex eodem §. 125. distingo consequens. Potuit Christus non obedire contrariè componendo inobedientiam cum præcepto, nego consequentiam; potuit non obedire priuatiuè, concedo consequentiam: quia potuit petere præcepti abrogationem; tunc autem non obedit priuatiuè: quia non haberet materiam obedientia; nullum enim esset de morte præceptum, aut consilium: facta autem hypothese præcepti, & acceptationis, Christus tunc obedit liberè libertate immediata in actibus voluntatis, qui etiam in sensu composito acceptationis potuerunt non esse. Recognosce §. 126. quæ dixi de moriendo hæc & nunc, quæ quadrat in hos actus internos, qui cum præcepto potuerunt componi, & non componi: at non mors non potuit componi cum præcepto, & acceptatione.

§. 130. Dices, Ex suppositione præcepti Christus liberè moritur libertate absoluta: ergo ex suppositione præcepti potest absolute non mori. Respondeo, terminos implicari in vtraque propositione: absolute enim, & ex suppositione habent diuersos significatus, ratione quorum aliquid dicitur possibile, & impossibile. quando dicitur homo absolute posse stare, & ex suppositione quod sedeat, posse absolute stare, est componere impotentiam subsequentem simul, & antecedentem potentiam. homo absolute stat liberè, & potest absolute sedere: at verò ex suppositione quod stat, non potest sedere. Non sunt coniungendi termini: ex suppositione quod stat, non potest absolute sedere: quia absolute non coniungitur cum suppositione. Si Christus absolute potest non mori, quia consideratus ipse secundum se ex vna parte: considerato item præcepto ex alia, potest Christus illud recusare: quia in Christo secundum se nihil obest recusationi, de qua Deus nullum dedit consilium, aut præceptum. Deinde ipse præceptum accepit potens non accipere: facta hypothese huius acceptationis Christus necessariò moritur; necessitate quidem consequenti eius voluntatem liberam: quæ necessitas non tollit libertatem absolutam. In forma, distingo antecedens: Christus liberè moritur ex suppositione præcepti libertate absoluta, & antecedenti, concedo antecedens; liberè moritur libertate absoluta ex suppositione præcepti potens coniungere non mortem cum præcepto, nego antecedens. distingo item consequens: ergo potest non mori absolute potentia antecedenti, qua posset componere non mortem cum sua humanitate sine præcepto, concedo consequentiam: absolute potest non mori ex suppositione acceptationis præcepti potentia compositiua

fitiua non mortis cum præcepto, nego consequentiam. Itaque Christus absolute moritur liberè: quia potest absolute non mori: moritur autem necessariò ex suppositione acceptionis, quæ necessitas non tollit potentiam & libertatem. quibus fit satis ijs quæ ex Lorca dixi à §. 110.

SVBSECTIO III.

Prima difficultas de necessaria perfectione Christi.

§. 131. **P**rima difficultas oritur ex inæqualitate operum, quæ Christus potest exercere: quam difficultatem insinuavi disp. 61. §. 44. & 45. quam quæ huc disputandam reieci. Est ergo difficultas: Christus imposito præcepto non est liber ad illud accipiendum, & recusandum: eo autem non recusato, non est libertas in eius executione: ergo Christo nulla est libertas. Probo antecedentis primam partem (de secunda non constat) quia Deo magis placet mors Christi, quam eius recusatio: sed Christus non potest recusare, quod censet magis placere Deo: ergo Christus non potest præceptum mortis accipere, & recusare. Maior probatur Primùm: quia mors Christi ex affectu in Deum, hominumque salutem, melior est, quam non mors etiam ex affectu in Deum, & propriam incolumitatem: sed quæ meliora sunt, magis Deo placent: ergo mors Christi magis Deo placet. Secundò probatur eadem maior propositio: quia Deus, dum præcipit mortem, est in eam magis affectus, quam in non mortem: siquidè præceptum est amor rei præceptæ, & odium oppositæ. Item in acceptionem & recusationem præcepti, est per me æquè propensus: ergo magis propensus est in mortem: ergo eam non potest recusare. Huic argumento respondeo §. 1148.

§. 132. Respondeo, Christum esse omnino liberum in accipiendo, & recusando præcepto: nego igitur antecedens. Ad probationem, distinguo Maiorem: mors composita cum præcepto magis placet Deo, concedo Maiorem; mors composita cum abrogatione præcepti magis placet Deo, nego Maiorem: Christus autem est adstrictus ad ea quæ magis Deo placent, ut placent magis, non verò ut non placent. Ad primam probationem, concedo Maiorem, & distinguo Minorem: magis placent desiderio, aut prosecutione, ut existant, nego Minorem; magis placent affectu simplici, item & gaudio, concedo Minorem: multa enim prætermittit Deus, nec vult ut existant, meliora multis, quæ vult existere.

§. 133. Ut rem explicem, aduerte, simplicem Dei affectum terminari ad creaturam secundum se in statu possibili consideratam: gaudium item esse simplicem affectum, terminatum ad creaturam, ut existentem. Hi duo affectus sunt pro entitate & bonitate cuiusque rei: dicuntur autem maior, aut minor: quia est quædam æstimatio iusta cuiusque boni. Desiderium autem & prosecutio sunt ad conferendam existentiam creaturis: cum autem Deus possit nullam omnino creare, ita potest prætermittere meliorem, & minus bonam creare: eodem pacto potest æquè desiderare creaturas inæqualiter bonas.

§. 134. Dixi disp. 61. §. 29. & 40. à Deo frequenter consulti quæ de se meliora sunt, in quibus sectandis elucet perfectio Christiana. Nisi autem ob singularia adiuncta, existimetur prudenter hinc & nunc gratiora esse Deo, quæ ex se sunt minus bona; agitur imperfectè, quando meliora omittuntur: quia & ipsa secundum se sunt meliora, & Deo desiderabilia: si autem revelatione constet Dei consilium esse æquale de rebus inæqualibus secundum se; tunc executione cuiusvis sumus æquè conformes desiderio, & voluntati Dei; & ex hoc capite æquè perfecti: quamvis non omnino æquè perfecti: quia perfectio moralis sumitur non solum ex conformitate cum desiderio Dei; sed etiam ex bonitate actus relati ad obiectum, & alia physica principia. si enim Deus æquè consulat misericordiam, ac religionem; Petrus æquè erit perfectus misericordia, ac religione, relatè ad Dei desiderium, non tamen absolute: quia desiderium æquali adjicitur maior bonitas moralis in actu religionis: ob quod Petrus eo actu est absolute melior moraliter, & magis perfectus.

§. 135. Hæc autem melius explicantur, si dicamus in eo euentu Petrum exercentem misericordiam æquè carere imperfectione, ac Paullum exercentem religionem: quia quicumque est conformis Dei voluntati, est perfectus, & caret imperfectione: quia carentia imperfectonis est carentia dissonantiæ à voluntate Dei, in quo æquales sunt Petrus, & Paulus: at in ipsa perfectione est magis, & minus: æqualis enim conformitas cum desiderio Dei in actibus melioribus maior est perfectio: quia conformitas cum voluntate Dei est æqualis; aliunde bonitas actus est de se melior: ergo reddit hominem absolute meliorem. Vnde non est asserendum, nullum esse consilium de his rebus: etenim generale iam est: ad quod sequendum obligat lex perfectionis, dum non suppetunt rationes in partem oppositam: si verò sunt consilia æqualia; aliquod est de illis consilium: at earum rerum perfectio non est ex solo consilio, sed etiam ex obiecto: carentia autem imperfectonis est æqualis: quia imperfectus nullus est, nisi agens contra præceptum, aut concilium.

§. 136. Obijcis: Demus à Deo nihil consuli, tunc erit maior perfectio in ipsis actibus solis: ergo Christus tenebitur illos exercere. Respondeo, casum implicare terminos: aut enim Deus dat gratiam sufficientem ad actum virtutis, aut non dat. si hoc vltimum: ergo Deus non consulit aliquem, nec vult: ac propterea nulla est ibi nostra libertas: si verò dat; ergo ex desiderio ut fiant: ut est per se notum. Rogo, vtrum hoc sit æquale, an inæquale: vtrâque ratione est consilium de vtrâque: ergo non possumus eos actus exercere sine consilio Dei. Dum autem nobis priuatim de opposito non constat, tenemur sequi generale consilium de meliori obiecto sectando.

§. 137. Hinc patet tum ad difficultatem ex disp. 61. §. 44. & 45. item & hac disp. §. 131. Christus potest omittere actum secundum se meliorem relatione ad obiectum, & alia principia physica; non tamen ad desiderium Dei: si igitur Deus æquè desideret in Christo misericordiam ac religionem, potest Christus absque imperfectione eligere misericordiam: quia licet secundum se melior sit religio; at in ordine ad Dei desiderium æqualis est.

s. Thom.
2. 2. 1.

est: ob quod Christus caret omni imperfectione morali: quia exercendo misericordiam, nulli Dei voluntati opponitur, nec præceptiæ, nec consiliatrici: ipse autem Christus dixit orandum, ut in terra fiat voluntas Dei sicut in celo: aut quid exigit à nobis Deus, nisi ut eius voluntatem ad minimum exequamur iota? ipse viderit, quid volendum sit: nos facimus satis volendo, quod ipse vult; eiusque voluntatem ducem ac regulam sequimur. Potest ergo Christus carere actibus ex se perfectioribus relatè ad obiecta & principia physica, non tamen magis consentaneis voluntati Dei.

§. 138. Deduces inde, Christum esse liberum in mortis præcepto accipiendo, & recusando. Quia de utroque actu fuit Dei æquale consilium: melior est voluntas accipiendi mortem, quam recusandi, si referatur ad principia physica: at æqualiter est ex Dei desiderio, & consilio: ob quod in eo recusando præcepto, nulla esset imperfectio Christo. Vnde patet ad primam probationem.

SUBSECTIO IV.

Bona difficultas de æqualitate operum Christi.

§. 139. **E**Mergit hinc difficultas non vulgaris. Fateor (inquies) esse perfectum, qui ita operatur: at qui ex duobus obiectis æquè consultis, eligit quod ex se melius est, est perfectior, ut constat ex §. 134. & 135. ergo tenemur lege perfectionis illud exequi. Probo consequentiam: Primum, quia lex perfectionis obligat semper ad meliora. Secundo, quia ut lex perfectionis obligat ad sequendum maius consilium, aut desiderium Dei, eadem obligat ad quarendum maius Dei gaudium: sed ex actibus æquè consultis, & ex se melioribus oritur maius Dei gaudium: quia hoc sequitur maiorem bonitatem obiecti, ut constat ex §. 133. ergo lege perfectionis tenemur sequi meliora ex se, quamvis sint æquè consulta. Maior probatur: quia lex perfectionis nos adstringit ad voluntatem maiorem Dei: cur enim adstringimur ad consilia, nisi quia sunt maior voluntas Dei?

§. 140. Respondeo, in puris creaturis hanc esse difficultatem grauem: quia Deus magis sibi complacet absolute in operibus melioribus ex se, æquè tamen consultis: si enim Deus Petro æquè consulat actum charitatis, & spei; Petrus cum charitate magis Deo placebit, quam cum spe. Vtrum autem abstinere ab actu meliori, dici possit imperfectio, apud nullum vidi disputatum. Iam dixi disp. 61. §. 41. esse dignum aliqua reprehensione eum, qui omittit consilia; qui autem non exequitur ea, quæ sunt Deo magis placitura, esse dignum reprehensione, apud nullum vidi. Nec ausim facile eum appellare imperfectum: cum fecerit omnem Dei voluntatem. Ad argumentum ex §. 139. nego consequentiam. Ad primam probationem, nego antecedens: non enim obligat nisi ad meliora moraliter, moralitate relatà ad Dei voluntatem, ut accipitur à Patribus. Ad secundam probationem, nego Maiorem. Ad probationem, respondeo esse apud omnes certum, obligandi vim esse maiorem in desiderio. Ratio est: quia tenemur sequi voluntatem Dei nobis præeuntem, quale est desiderium: gaudium autem non præit, sed sequitur: ergo non tenemur sequi gau-

dium: conformitas autem nostra est, ut velimus, quæ Deus vult, & ut eadem faciamus: at de gaudio in res iam existentes nihil præcipitur. Vno verbo, desiderium Dei est lex, est præceptum aut strictè, aut propriè; non verò gaudium: tenemur igitur ad maius desiderium Dei; quia est lex: non verò ad gaudium maius; quia non est lex: at sine lege stricta, aut lata, nulla est obligatio.

§. 141. Quia verò maior perfectio est querere etiam maius Dei gaudium, & viri principes plurimi faciunt seruos, facientes quæ existimant illis futura gratiora, quamvis siue vlla offensione ea potuerint omittere; & quamvis qui ea omittunt, non reprehendantur, ut qui omittunt consulta: at herus potest & solet exprobrare seruo pigritiam in omittendis ipsi gratioribus; liber ostendere Christum etiam esse incapacem huius aut minoris perfectionis, aut imperfectionis minùs propriæ: Christus enim quolibet actu meritorio placet infinite Deo, estque dignus vno actu tanto præmio, quanto infinitis. Nec enim pluribus actibus placet Deo magis, quam vno. Quod non oritur ex actibus secundum se, ut iam ostendo; sed ex supposito. Vnde non tenetur exercere actus optimos ex se: quocumque enim exercito placet Deo infinite: ob quod nullius moralis imperfectionis est capax. non per oppositionem consilij, nec per obiectum complacentiæ minoris: ergo nullo ex capite est imperfectus.

§. 142. Obiicis: Ergo Christus non est capax meriti. Probo consequentiam: constat ex sect. 4. Christum liberum non futurum libertate sufficienti ad meritum, si eius libertas verferet inter actus æquales omnino: sed hæc Christi libertas est inter actus æquales omnino: ergo non est satis ad meritum. Nego consequentiam. Ad probationem, distinguo Maiorem: inter actus æquales ex obiectis, aliisque physicis principijs, non est libertas ad meritum: ob ea, quæ dixi sect. 4. at inter actus per se inæquales ex obiecto & circumstantijs, æquales autem per accidens ratione extrinseca suppositi, potest esse meritum. Distinguo item Minorem: actus Christi sunt æquales per se ex obiecto, & alijs, nego Minorem; sunt æquales per accidens ex dignitate extrinseca suppositi, concedo Minorem, & nego consequentiam.

§. 143. Actus moralitas consideratur in abstracto in ipso actu secundum se, præciso ab hoc illone supposito, aut subiecto grato. Hanc moralitatem dixi trahi tum ex bonitate obiecti amari; tum ex perfectione principij actiui, & alijs adiunctis; tum tercio ex Dei desiderio de tali actu: item dixi actum charitatis esse meliorem actu spei, licet uterque sit æquè consultus. Humanitas Christi exercere potest plures actus æquè consultos; dispares tamen inter se. Hæc disparitas est etiam in genere moris: quia illi actus sunt in eo genere. quamvis enim Sancti moralem perfectionem exponunt per conformitatem cum Dei voluntate: at non excluditur moralitas ex obiectis. Igitur in humanitate Christi sunt actus in abstracto moraliter & physice inæquales. Hæc inæqualitas non amittitur in Christo, sed conseruatur: quia suppositum non mutat rationem; qua illi actus oriuntur physice à suis principijs: nec vno hypostatica posset eos actus dignificare, & informare ad meriti rationem, nisi ex se essent inæquales: ut nec gratia habitualis potest. hæc ergo dignitas

gnitas adiungitur actibus de se inæqualibus; at verò in concreto consideratâ ratione suppositi, & dignificationis actuum ab ipso, sunt æquales quoad terminandum gaudium diuinum de illorum existentia: id quæ oritur ex infinitudine suppositi, in quo sunt. Quæ dignitas est comitans actuum existentiam: quamuis enim vnio est illis prior natura; tamen actus non concipiuntur digni, nisi cum iam concipiuntur existentes.

§. 144. Hinc oritur libertas Christi sufficiens ad meritum: quia hæc libertas debet esse inter actus liberè exercitos cum inæqualitate in illorum libero exercitio: sed hæc inæqualitas est in actibus Christi, vt dixi §. 143. ergo est sufficiens libertas ad meritum. Maior probatur: quia ideo exigitur libertas inter inæqualia, vt sponte possimus offerre meliora: libertas enim in ipsa reperitur actione: item quæ liberè offerimus debent esse inæqualia: quia liberè offerimus minus bona: hæc autem sunt in ipsis actibus: Christus enim non offert liberè suum suppositum, nec illud etiam in humanitate possidet liberè libertate creata: quæ autem sunt in eius potestate, sunt actus: illi autem sunt inæquales: Christus ergo habet libertatem immediatam ad inæqualia, vt nos. Quod autem in nobis ex maiori gratia operantis sit actus misericordie tam gratus Deo, quam in alio actus religionis, non tollit actuum inæqualitatem per se. An si anima Christi ignoraret suam vnionem ad Verbum, non offerret Deo actus ex se meliores, & existimatos vndique non æquales? Quid ergo huic liberali voluntati obest æqualitas actibus extrinseca orta à supposito?

§. 145. Obijcis, à me dici actus Christi esse tam perfectos moraliter à consilio Dei, vt non possit esse in eis inæqualitas. Respondeo, æqualitatem admissam à me, esse in vna tantum parte perfectionis, relata ad voluntatem Dei: de qua frequenter Sancti loquuntur: quæ ergo est communis cuius creaturæ eligenti liberè, quod Deus vult. At absolute sapius dixi perfectionem moralem absolute considerandam esse etiam ex obiecto, & alijs: ob quod Petrus exercens charitatem perfectior est Ioanne exercente spem æquè consultam. Vt item homicida deterior est fure, tamen si vtrumque peccatum esset æquè interdictum. Ita opera Christi intrinsecè sunt inæqualia moraliter in abstracto, & secundum se: quia Christus voluit Deum, & ex eius amore mortis acceptionem: item hominum salutem, & diuini nominis gloriam, & celebritatem. quæ omnia pluris fiunt à Deo, quam gloria corporis Christi pro eius vitæ spatio: Christus ergo obtulit multa liberè meliora, quam opposita, quæ offerret mortem recusans.

§. 146. Obijcis: Ergo Christus non potuit ea omittere: quia tenetur ad ea præstandum, quæ magis Deo placent. Nego consequentiam. Ad probationem, respondeo non teneri Christum lege perfectionis & sanctitatis nisi ad se constituendum perfectum, & sanctum omni genere sanctitatis, & ad præstanda opera Deo gratissima, vt fiunt à Christo, id est, infinite meritoria: quidquid autem voluit Christus actu supernaturali libero, fuit æquè meritorium, & vt factum à Christo fuit perfectissimum: quia factum fuit actu supernaturali maxime consentaneo desiderio Dei: item in concreto terminante æquale gaudium. Ad opera autem externa secundum se inæqualia non tenebatur, quia

circa omnia erat æqualiter perfectus intrinsecè, & s. Thom. quamuis sine necessitate, illa obtulit quidem meliora, & propterea æstimari digna.

§. 147. Ne autem obijciatur, posse esse sanctitatem adstrictam ad actus ex obiecto meliores. Item considera nullam posse excogitari sanctitatem, quæ sit adstricta ad opera ratione obiecti meliora. Primum sanctitas increata non potest: quia si actus virtutum essent in concreto inæqualiter grati; iam sanctitas illos non dignificaret eo genere dignitatis, quo nunc: nunc autem omnes sunt æquè grati in concreto, & meritorij: quod spectat ad infinitatem sanctitatis Christi, vt hominis. itaque in natura creata intellectuali vnita Deo per hypostasim, nullus actus potest esse in concreto minus consentaneus voluntati Dei, quam alij, non ratione desiderij: quia non potest produci aliquis actus ab ea natura scienti illud esse contra consilium. Non gaudij: quia omnis actus supernaturalis liber, vt existens in ea natura, terminat æquale gaudium: ergo implicat aliquid esse in ea natura nisi cum summa conformitate cum voluntate Dei: aliunde pertinet ad perfectionem sanctitatis relinquere liberum arbitrium, quo possemus placere Deo eo genere actionum, illum quæ nobis deuincire: perfectio autem moralis est, vt exhibeamus Deo quæ illi omnibus consideratis magis placerent. At omnibus consideratis, omnes actus liberos supernaturales in Christo æquè placere Deo, ostendam disp. 63. ergo in omnibus est Christus æquè perfectus. Sanctitas creata non potest esse adstricta ad illud genus perfectionis: quia quamuis actus in se sunt inæquales, & qui sunt ex æquali consilio, si in se sunt inæquales, terminant inæquale gaudium Dei: quia dignificantur finite à gratia habituali; tamen illa perfectio rependeretur imperfectione, nempe determinatione ad vnum, & carentia liberi arbitrij: satis ergo est sanctitatem creatam esse adstrictam in aliquo statu ad numquam delerenda consilia Dei, quo habet perfectissimam sanctitatem, quam Deus exigit. *Fiat voluntas tua sicut in celo, & in terra.* Hic est epilogus perfectionis Christianæ: alia autem bonitas potest dici perfectio moralis, est tamen bonitas transcendentalis actus in se considerata, non tamen relata ad desiderium Dei, & maiorem voluntatem antecedentem.

SUBSECTIO V.

Respondetur secundo argumento ex §. 131.

§. 148. **P**roposui §. 131. secundam probationem minoris propositionis, vt ostenderem mortem esse Christo necessariam, nisi esset alia ratio tuendæ libertatis. Est ergo difficultas. Deus magis desiderat mortem Christi, quam non mortem, quia illam præcipit, & aliunde in petitionem abrogationis, & consensum in præceptum est æquè propensus. Respondeo, posse considerari mortem pro illo instanti quo præceptum est, item & pro sequentibus, quibus præceptum est duraturum, aut abrogandum. Pro illo primo instanti Deus magis diligit mortem, quam præcipit: præceptum autem dicit odium rei oppositæ. Vnde si mors esset eo instanti obeunda, Christus non posset eam recusare: at pro alijs instantibus Deus non

S. Thom.
q. 15. a. 1.

complacer magis in morte, quam in non morte: siquidem perseverantia præcepti ei non placet magis quam abrogatio. Cum autem Deus offerat reculationem, & acceptionem præcepti, non vult magis vnam, quam alteram.

§. 149. Obijcis: Ergo pro illo primò instanti non potest reculare mortem: quia pro illo Deus magis placet. Nego consequentiam: quia licet pro illo sit præceptum, tamen reculatio mortis non est, vt pro illo instanti præceptum abrogetur: id enim impossibile est; sed pro alijs, pro quibus Deus æquè vult prorogationem, ac abrogationem præcepti: cum enim mors obeunda esset multò post, Deus pro primo instanti potuit illam magis velle: quia tunc nihil obstitit illi maiori desiderio; at pro illis instantibus obistere poterat reculatio Christi: ergo mors non placuit magis, quam perseverantia præcepti: hæc autem non placuit magis: ergo nec mors.

§. 150. Nec potest negari hanc esse apram rationem ad probandam libertatem Christi in substantia mortis: Superior enim, siue Prælatum, aliqua interdum præcipit, ad quæ obligat subiectum; deinde considerans difficultatem subiecti, petentis abrogationem præcepti, illud abrogat. Qui dicunt Christo mortem esse præceptam id illo flagitante, non satis ostendunt rationem communem, & frequentem inter Prælatum, atque subditos: magis adsonat rationi, vt præeat voluntas Prælati voluntati subiecti, quam huius voluntas voluntati illius.

§. 151. Quòd si subiectus senserit vires ægras, aut difficiles, æquum est, vt possit reculationem insinuare præcepti, quo solvatur à Prælato: Deus ergo præiuit voluntati Christi, qua Christus se subiecit voluntati Patris, nolens eam reculare. Sic nobis ostendit, quod Bernardus tantopere laudat in Paulo (serm. 2. de illius conversione) interrogante Deum: *Domine quid me vis facere?* & reprehendit in cæco, quòd ipse præiuerit voluntati Christi interrogantis: *Quid vis, vt faciam tibi?* ille autem dixit: *Domine vt videam.* Bernardus est in id responsum inuectus; quia dicturus erat cæcus ad se non spectare indicare quid velit, sed sequi quæ Deus velle: ita Christus non præiuit Dei voluntati, sed successit. psal. 39. 8. *Tunc dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* tam tenerè Christus amavit legem Patris. *Venio.* Deus igitur præcepit, Christus obediuit. Quo item ostenditur Christum missum à Patre in nostram salutem, siquidem eam illi præcepit.

SECTIO VII.

Secunda ratio conciliandi libertatem Christi cum perfectione necessaria.

§. 152. **O**stendi sect. 3. quid sentiendum sit de pura omissione præceptorum: qua mirè componeretur libertas Christi cum impotentia ad imperfectionem: quam opinionem ibi reieci §. 81. vbi asserui me etiam eadem vsurum in parte: quod iam præsto.

SVBSECTIO I.

Christus potuit exercere puras omissiones plurium actuum.

§. 153. **D**ico, Christum potuisse absque imperfectione morali exercere plures omissiones puras plurium actuum. Probat. Christus illis non esset imperfectus moraliter; & aliunde illæ essent possibiles (vt sæpius ostendi): ergo potuit illas habere. Probo antecedens: creatura tunc est perfecta, quando est vnita Deo per gratiam sanctificantem: item quando eius intellectus cognoscit immediatè Deum, & voluntas diligit: item exequitur quicquid Deus vult: nec enim est alia perfectio; nec potest esse imperfectus, qui hæc habet: quia imperfectio consistit in carentia omnium horum bonorum, aut alicuius ex his: sed licet anima Christi exerceat plurium actuum omissiones puras, habet hæc omnia bona: ergo ita est perfectus vt homo, vt per eas omissiones non sit imperfectus. Minor est sine controuersia.

§. 154. Vt autem singula percurramus: conclusio liquet in præceptis naturalibus negatiuis, non furandi, non mentiendi: quæ non exigunt actus positiuos, sed tantum omissiones: ita vt contra ea præcepta non peccetur exercitio actuum positiuorum furandi, & mentiendi: Christus pura omissione furti explet præceptum non furandi: quia Deus nihil ab eo exigit aliud: at Christus censuit sibi non esse satis non furari; sed ex amore in Deum exercuit actum positiuum non furandi, nec mentiendi, sed potius sanguinem fundendi pro hominū salute, & testandi veritatem; *Ego in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati:* ergo Christus sine periculo imperfectionis potuit hos actus omittere, & mereri obseruatione præcepti: quia licet non potuerit illud violare, & necessum illi fuerit non furari: at potuit illud hoc pacto non obseruare: & quia hæc obseruatio illi fuit libera, & ex duobus obiectis sibi liberis elegit, quod bonum erat, & æstimatu dignum, reiecto quod nec bonum erat, nec æstimationis vilius; idè meruit apud Deum.

§. 155. Idem probatur in præceptis naturalibus positiuis. Primùm illa non obligant semper, nec pro semper; sed certis temporibus: nec obligant ad certam intensionem, nec ad omnia motiua, nec ad plures actus, sed ad vnum. exempli gr. præceptum religionis: Christus ratione temporis potuit multo tempore omittere voluntatem cultus: item & intensionem actus omittere; & non exercere nisi vnum sub honesto motiua: at à primo conceptionis instanti illum exercuit, antequam diu tempus obligationis; nec ab illo actu cessauit toto vitæ decursu: intendit quæ actum infinitè, illique præscripsit optimum obiectum formale, & circa cultum exercuit plurimos actus diuersarum virtutum. cum igitur in vnoquoque genere posset eligere infima, noluit nisi maxima eligere. Sect. 6. libertatem probavi: quia poterat eligere inter actus inæquales; nunc quia omnes poterat omittere, vel plurimos in intensione, alijsque adiunctis; offerens in singulis circumstantijs plurima æstimatu digna, quæ potuit omittere: meritus ergo est hac heroica obseruatione præcepti, quam